70

Perill.tris Ampl.me et Consult.me D.ne

32-19

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Contuli mense Septembri Canonicatum S. Seruatij Oppidi Traiectensis,
ei, quem Summus Pontifex nominauerat, cum mihi potesta=
tem fecit aliquos Canonicatus ibidem distribuendi, vt qui vacarent
in Mensibus Aplicis. Statim verò de ea re scripsi ad D. Scabi=
num Sijpfel; vt quia ad Traiectum erant Deputati à Magi=
stratu Supremo foederatarum Prouinciarum, conscios eos redderet,
induceretque in persuasionem, nihil à me fieri, nisi quod ex consue=
tudine, ac iure perpetuo antehac Traiecti factum erat. Fortè
accidit tamen, vt litterae ad eum perlatae non fuerint, sed Leodium
redierint, qui eas primum habuerit, ostenderitque, ac tradiderit il=
lud D. V. quando ipsa mox Leodium venit. Et mihi tum gratu=
latus vel ideo, quia cum audierim à multis D. V. aequi amantis=
simam esse, potuerit ex eisdem litteris iudicare; quam aequum
sit, Summum Pontificem perinde iam Traiecti Canonica=
tus in Apostolicis mensibus distribuere, atque egerat, dum ad Princi=
pes Brabantiae Vrbs ea pertineret. Jam nihilominus Hagae Comi=
tis DD. Praesides foederatarum Prouinciarum deliberârunt Traiectum
habendum esse, quemadmodum aliae Ciuitates regimini earum

V 98
D. Huygens. Hug 32A
14

subiecti habentur, in quibus videlicet Summus Pontifex nulla Beneficia Ecclesiastica distribuit. Debui proinde ad Exmum Principem Auriacum scribere, ipsique intimare, alienam prorsus ab omni æquitate eiusmodi deliberationem videri. Imo iniuriosam esse ex æquo Exc.æ eius, atque est Summo Pontifici: quia videt refringi pacta, quibus fide Principis, et Sacramento etiam firmatis, Traiectum in potestatem suam redegit. Pacta enim præcipua fuerunt, ut staret ibi deinceps Catholica Religio; excludi proinde non potest Summus Pontifex, et eius spiritualis potestas atque Ecclesiastica Iurisdictio; cum sit Caput, et Pastor Supremus Religionis Catholicæ. Professi etiam sunt MM. Præsides Foederatarum Provinciarum, se dumtaxat in ea Iura succedere, quæ antea fuerunt Regum Hispaniæ, seu Ducum Brabantiæ; integra itaque manent iura quæ fuerunt Summi Pontificis
Hæc et plura Exmo Principi fuse scribo, communicanda uti reor, MV. Quam rogo, ut negotium hoc promoveat, si Exmi Principis sui existimationem amat, cuius pacta

vio-

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Hug 32 A, ff. 070-71
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0635

71

violantur; imò si æquitatem ipsam amat. In futurum mi-
hi persuadet fama honorifica, quæ est apud me V.D. cui me iam
offerens in omnem rerum amicitiæ, precor diu mansuram in-
columitatem. Lodio. 15. Nov. 1633.
Per.ill.mi Ampl. et Consult.mi V.D.

Addictiss. et ad omnia servitia paratiss.
Petrus Aloysius Episcopus Tricaricensis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Hug 32 A, ff. 070-71
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0635

Perill.tri Amplis.mo et Consult.mo Dno:
[Constan]tino Huygens, Equiti ac
Eccell.mo Principi
Consiliis, et Secretis.

Hagæ.

B. Constan[tino]
Dno de Zulchen,
Auriaco à

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Hug 32 A, ff. 070-71
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0635